

per eos facte, et si deliverari²⁾ facerent pro minori precio quam ultra medietatem precii extimati per eos, sit cassa et vana ipso iure. ¶ Et sequenti die dominica plus danti habili, ut supradictum est, ultra medietatem extimationis facere deliverare. ¶ Item non expendere et solvere vel distribuere denarios // de rebus venditis ad extimariam creditoribus vel alibi sine licentia domini. ¶ Item non emere vel incantare per se vel per alios tempore eorum offitii, nec aliquis ipsorum, aliqua bona posita ad extimariam per se vel aliam personam aliquo modo vel ingenio, etiam pena decem libr. par., et nichilominus ipsa deliveratio scit cassa et vana ipso iure, excepto quod emere [et] incantare possint bona sua vel aliena posita pro eorum debitis spetialibus ad extimariam. ¶ Et dictus notarius extimatorum post exitum sui offitii infra quinque dies a die exitus dicti offitii debeat dare et consignare quaternum suum offitii predicti, unum vel plures, in manus vicedominorum comunis Tergesti, etiam sub pena centum sold. pro quolibet notario contrafatiente et vice qualibet contrafacta.

Cap. XXI. Rubrica de electione vicedominorum.

Ordinamus quod in electione vicedominorum procedatur in hunc modum: videlicet quod die sancti Johannis post festum nativitatis domini nostri Yhesu Christi fiat maius conscillium, in quo dentur sex brevia pro sex vicedominis eligendis, et quilibet habens ex dictis brevibus eligere debeat et teneatur unum vicedominum meliorem quem sciverit pro comuni utilitate, qui scit etatis triginta annorum et ultra, et cum dicti sex vicedomini fuerint electi, tunc balotentur in dicto maiori conscillio unus contra alium ad piscides et ballotas, et illi duo qui optinebunt per maiorem partem maioris conscillii sint firmi vicedomini, et stent in dicto offitio ab ultima die mensis decembris in antea usque ad unum annum // inde proxime subsequenter et completum, et habere debeant pro suo salario pro toto tempore ipsius anni libr. quinquaginta par. pro utroque

²⁾ quod librarum. Il testo degli Statuti del 1365 conferma la correzione.